

Modus ge-
nerationis

fracta, item arthritici, partes pro arbitrio mouere nequeunt :
attamen Paralytici non sunt. Quare modus generationis pa-
ralyfis propriè dictæ erit, quia virtus animalis à cerebro per
neruos in musculos & cutem influere prohibetur.

Definitio.

4. Definiri itaq; poterit Paralyfis, abolita functio sensus
tactus, motusq; voluntarij in partibus sine læsione principis
facultatis à causa prohibente spiritus animales influere in or-
gana sensus & motus. Dico abolitam functionem sensus ta-
ctus & motus, ad differentiam torporis & stuporis, in quibus
sensus & motus tantum diminutus est. Deinde sine læsione
principis facultatis, ad differentiam Apoplexiæ vt alibi di-
ctum est.

Pars affe-
cta.

5. Organa illa motus voluntarij in quæ non influit vis a-
nimalis, sunt nerui motorij & musculi proxima instrumenta
motus. Organa verò sensus in partibus sunt capillares nerui,
qui ad cutem disperguntur, ipsaq; cutis, vbi perficitur tactus.
Quare non influente virtute animali in cutem & musculos
partis alicuius, necesse erit sensum tactus, motumq; illius vo-
luntarium cessare. Proinde morbus causa immediata para-
lyfis erit qui influxum virtutis animalis à cerebro per neruos
prohibet. Locus primo affectus interdum est cerebrum, quia
vim animalem ad spinam aut neruos subiectos non transmit-
tit. Plerumq; spinalis medulla aut neruus aliquis peculiaris,
quatenus vim animalem ad musculum & cutem cerebro
non distribuunt. Adduntur à nonnullis musculi secundum
tendines, partesq; neruosas, quatenus vim influentem per
neruos non suscipiunt.

Causa.

6. Ratione cerebri, sensus motusq; varijs modis, varijsq;
de causis perire solet. 1. Quia spiritus animalis in cerebro
non generatur, vt in graui syncope, aut in his qui morti sunt
vicini. ~~Sed hæc Paralyfis propriè non est.~~ Deinde quando
distrahitur & dissoluitur spiritus in cerebro, quod in magnis
vulneri-

B